



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

38. Sollicitudo Pastoralis, &c. Fratrum Minorum Recollectorum S. Nicolai in
Lotharingia Provinciæ erectio & institutio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

ANNO
1727.

XXXVIII.

Fratrum Minorum Recollectorum S. Nicolai in
Lotharingia Provinciae erectio & institutio.

BENEDICTUS PAPA XIII.

*Ad futuram rei memoriam.*Commemo-
rat suam in
religiosis
arctioris vi-
tae pastorali-
um sollicitu-
dinem.Benevolen-
tia Leopoldi
I. Lotharingae
& Barri
Ducis.Maxime er-
ga Recol-
lectos a se
& majori-
bus fundatos
& erectos.Recollecto-
rum Lothar-
ingiae odor
Religiosis.

an. D. 1723.

Depuratio
Commissarii
Generalis.

Sollicitudo Pastoralis Officii, quo Ecclesiae Catholicae regimini divina dispositione praedemus, nos admonet, ut paternam religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub arctioris vitae instituto mancipatorum curam gerentes, felici illorum statui, ac progressu, & religionis incremento, quantum nobis ex alto conceditur, prospicere jugiter studeamus.

Cum itaque, sicut accepimus alias, dilectus Filius Nobis Vir Leopoldus Lotharingae, & Barri Dux non minus pro avita sua in Deum pietate, & singulari erga ordinem Fratrum Minorum Sancti Francisci devotione, quam excelsus suavis odoris fragrantia in universum ejus dominium diffusa, vitae, ac bonae conversationis exemplo, religiosisque in vinea Domini laboribus Dilectorum filiorum fratrum ejusdem Ordinis de observantia Recollectorum nuncupatorum custodiae Sancti Nicolai in Lotharingia nuncupatae, quae infra scriptis septem Conventibus, & hospitio a se, ac Majoribus suis fundatis & erectis conitat, nempe Conventibus Longuiceni, Gondrecurienfi, Damblieni, Conuentino, Aspermontano, Lifoldienfi, Bulnevilleni, & hospitio Mirecurienfi, ubi novitatus cum tribus Sacrae Theologiae tum Scholasticae, tum moralis, & uno Philosophiae cursum institutus reperitur, ac quorum religiosi Catholicae doctrinae semen longe lateque ipargere non desistunt, & arctiori Regula, quam profertur, observantiae, & non sine ingenti populorum aedificatione sedulo incumbunt; eandem custodiam, cui, data occasione, novos Conventus addere paratus erat, in Provinciam erigi exoptans, litteras ad novissimum Capitulum Generale praedicti ordinis in alma urbe nostra celebratum pro ejusmodi erectione obtinenda dedisset; quibus acceptis, idem Capitulum Generale decrevit numerum, & statum conventuum, & hospitii praedictorum ab uno Commissario Generali dicti ordinis prius examinandos, & illius Ministro Generali significandos fore, quam ad erectionem praedictam deveniretur; quae quidem omnia rite, ac ordine adimpleta fuerunt; Verum quia juxta statuta Generalia auctoritate Apostolica confirmata, ac decreta Capitulum Generalium dicti ordinis enarratus conventuum numerus satis non est, ut in Provinciam erigantur, nisi specialis nostra, & hujus sanctae sedis in hac parte, ut alias saepius factum fuisse memoratur, accedat dispensatio & facultas. Hinc est, quod nos piis ejusdem Leopoldi Ducis desiderio hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, simulque humiori, & solidiori ejusdem Custodiae statui, prosperoque illius regimini, & progressu providere volentes, ac dilectorum filiorum custodis, & definitorum, aliorumque fratrum custodiae hujusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae exurgunt, ad effectum praesentium tantum consequendum ha-

rum serie absolventes, & absolutos fore censentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostra, deque Apostolica potestatis plenitudine praefatam custodiam, tametsi non nisi septem Conventibus, ac hospitio de praesenti constantem, sicut praemittitur, in novam Provinciam Fratrum Recollectorum dicti ordinis, quae Provincia Sancti Nicolai itidem nuncupari debeat, ac Capitula Provincialia pro Ministri Provincialis, custodis & definitorum, aliorumque Officialium ipsius Provinciae electione, ac congregatione, aliosque congressus ad instar aliarum Provincialium ordinis hujusmodi celebrare, ac omnibus, & singulis praerogativis, praeminentiis, juribus, honoribus, privilegiis, gratiis, & indultis, quibus aliae ejusdem ordinis Provinciae tam de jure, usu, & consuetudine, quam aliis quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, partimiter, & absque ulla prorsus differentia uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè possit & valeat, tenore praesentium sine cujusquam praedictio in perpetuum erigimus, & instituiimus:

Decernentes ipsos praesentes litteras, & in eis contenta, etiam ex eo quod quilibet in praemissis Jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, etiam si specificè, & individua mentione & expressione digni, illis non consentiant, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causae propter quas praesentes emanarint, adductae, aut verificatee, & iustificatee fuerint, aut ex quavis alia, etiam si quantumlibet juridica, pia, & privilegiata causa, colore, praetextu, & capite etiam in Corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimae, & totalis laesionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam si quantumvis formali, & substantiati, individuaque expressionem requirenti defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci, aut adversus illas apertionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, seu impetrare, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanate quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, sicque, & non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Apostolicae sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeminentia & potestate fungentes, & futuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si focus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinibus, illiusque capitulum Generalium, & custodiae hujusmodi, aliisque quibusvis in iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, decretis, &

ANNO
1727.Custodia
contans
septem con-
ventibus &
hospitio uno
& provincia-
m erigitur.Communi-
catio Privi-
legiorum
cum ceteris
provinciis.Sequitur
confirmatio
prolixa &
firmissima
erectionis.

ANN O
1727.

consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, etiam dicto ordini, ejusque superioribus, & quibusve aliis personis, & locis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, ex formâ in illis tradita observatâ exprimerentur, ac inferrentur, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis & insertis habentes, illis aliâ in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice duntaxat specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

30. Julii
1727.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die XXX. Julii MDCCXXVII. Pontificatus nostri anno quarto.

Locus † Sigilli.

Card. Oliverius.

Præsens Copia de verbo ad verbum cum Originali suo concordat: in cujus fidem, Ego infra scriptus me subscribo, Gondrecurii 28. Octobris 1728.

F. Berardus Henvion Recollectorum Lotharingæ Minister Provincialis.

XXXIX.

Quâ cujusvis Status, Ordinis, & conditionis personis in Alma Urbe, ac reliquo Statu Ecclesiastico prohibetur Ludus, vulgò *Lotto di Genova, di Napoli, e di Milano*, aliove nomine nuncupatus, sub Censuris Ecclesiasticis Sanctitati suæ, & Successoribus suis reservatis; salvis, ac firmis remanentibus, omnibus temporalibus, aliisque penis adversus ejusmodi Ludo ludentes hætenus indictis.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Credite Nobis divinitus Apostolica servitutis ratio postulat, ut si quos in temporali nostra, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Ditione abusus pullulare, atque invalescere agnoscimus, eos opportune sanctionis sarculo recidere, atque è medio tollere studeamus, sicut Republicæ expedire in Domino arbitramur. Alias siquidem Nos felicitis recordationis Innocentii XI. Innocentii XII. ac Clementis etiam XI. Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum vestigiis inherentes, justissimisque, ac gravissimis de causis animum nostrum moventibus adducti, Ludum, qui vulgariter dicitur, *Lotto di Genova, di Napoli, e di Milano* sive alterius cujusvis civitatis, aut loci, omnibus, & singulis in Alma Urbe nostra, ac reliquo statu Ecclesiastico nobis mediâtè, vel immediâtè subiecto tunc, & pro tempore existentibus, cujuscunque gradus, & conditionis forent, per Edictum die VII. Sept. MDCCXXV. jussu nostro promulgatum sub variis penis temporalibus in eo contentis, & expressis, districtè prohibuimus, ac omnino interdiximus.

Ludus aliâ à SS. Domino nostro prohibitus sub variis penis.

Subinde verò Regularibus tam Viris, quam Mulieribus ejusmodi Ludo quomodolibet ludentibus vocis activæ, & passivæ privationem eo ipso incurrendam adjecimus: ac demum alio posteriori Edicto personis Ecclesiasticis tum Sæcularibus, cum Regularibus in Sacris Ordinibus constitutis, præter, & ultra memoratas penas, suspensionem à Divinis, quæ autem in Sacris Ordinibus hujusmodi constitutæ non essent, excommunicationem in subsidium comminari curavimus, nec alia prætermisimus, quibus firmam, constantemque mentem, ac voluntatem nostram eundem Ludum ex universa nostra, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Ditione citrà Montes proficibendi, atque radicibus evellendi, omnibus palam, certamque, & manifestam faceremus.

Cum autem, sicut non sine intimo animi nostri dolore accepimus, multi adhuc reperiantur non minus ex Laicis, quam Ecclesiasticis Sæcularibus, & utriusque sexus Regularibus prædictis, qui cæcâ, & vanâ lucri cupiditate ducti, debitæ nobis, mandatisque nostris obedientiæ planè immemores, nec penas contra ejusmodi ludentes ab eisdem Prædecessoribus indictas, ac per Nos innovatas, auctas, & extensas reformidantes, enarrato Ludo ludere, nonnullique etiam (quod deterius, & gravius est) Receptorum, & Collectorum, ut vocant, ejusdem ludi officio perfungi cum incredibili ludentium, eorumque familiarum, ac præcipue pauperum detrimento, & jactura damnabili ausu pergunt. Nos pro paterna, quam de nostris, & Apostolicæ Sedis in temporalibus subditis gerimus cura, eorum utilitati, ac indemnitati, quantum cum Domino possumus, jugi vigilantia intendentes, publicam, privatamque perniciem, quæ ex prædicto ludo provenire dignoscitur, ab eis avertere, simulque tam apertam hujusmodi inobedientium temeritatem, contumaciam, ac impudentiam juxta canonicas sanctiones, Apostolice zeli vigore, gravioribus penis tandem retundere, ac cohibere decrevimus.

Itaque motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnibus, & singulis Ecclesiasticis in Sacris Ordinibus prædictis constitutis, ac in Urbe, & Ditione præfatis, nunc, & pro tempore existentibus, Sæcularibus, & Regularibus cujuscunque status, gradus, conditionis, qualitatis, & dignitatis, ac cujuscunque Ordinis, Congregationis, Militiæ, & instituti tam mendicantium, quam non mendicantium, etiam Societatis Jesu, & eorum cuilibet, licet talis esset, de quo specificè, & individua mentio faciendâ foret, qui imposte- rum præfato ludo, quem vulgò appellant *Lotto di Genova, di Napoli, e di Milano*, sive alio quovis loco fiat, vel quocumque altero nomine nuncupetur, etiam semel per se immediatè, vel per alios tam in urbe, quam in reliquo statu nostro Ecclesiastico, sive etiam extra illum consistentes, directè, vel indirectè, tam nomine proprio, quam alieno, ac tam pro se, quam per Nuntios, Epistolas, & signa, seu alias quovis modo, & qualitercumque ludere præsumperint, vel ludum pro se, eorumque nomine ab exteris factum, ratum haberint, penam suspensionis à Divinis ipso facto incurrendam tenore præsentium indicimus, ac inligimus.

Cæteris verò personis Ecclesiasticis Sæcularibus, vel Regularibus hujusmodi in Sacris Ordinibus minimè constitutis, Monialibus quoque, & quibusvis aliis puellis, seu mulieribus in Monasteriis, Conservatoriis, seu aliis locis Piis degentibus, ac tandem quibuscumque Laicis utriusque sexus in urbe, & Ditione præfatis, nunc similiter, & pro tempore degentibus cujuscunque condi-

tionis,

ANN O
1727.

Privatio vocis activæ, & passivæ ad Regulares ludentes adjecta.

Solutio à Divinis pro Personis in Sacris constitutis.

Quoad Ecclesiasticos in Sacris non constitutos excommunicationem in subsidium.

Motiva constitutionis.

Contra quoscunque Ecclesiasticos in Sacris constitutos præfato ludo ludentes inponitur pena suspensionis à Divinis ipso facto incurrentia.

Cæteris quibuscumque similiter ludentibus penam excommunicationis ita tuitur.